

DISSERTATIO ACADEMICA

De

*NEXU IMMATERIALITATIS ET  
IMMORTALITATIS ANIMÆ  
HUMANÆ,*

---

Quam

*Conf. Amplis. Fac. Philos. Aboëns.*

*Publicæ Censuræ modeste offerunt*

*WILHELMUS ÅKERMAN,*  
*Philos. Mag.*

&

*JOHANNES HOLSTIUS,*  
*Ostrobothniensis.*

*In Auditorio Majori die XX Junii MDCCXCVI.*

*H. ante meridiem S.*

---

*ABOÆ,*

*TYPIS FRENCKELLIANIS.*

DISSEMINATIO ACADEMICA

17

TE SILENTIIS ET  
TUMULTUOSIS VITIS  
HUMANIS.

18

19. *How quickly the world*

*changes! Chinese writing disappears*

INTERMISSIONE AERARIA

20. *Take the*

21

SORRYNESS HORSES

*or something else*

22. *XX. the same modern day*

*as the beginning of H.*

23. *the*

*same language again*



§. I.

Qui ad immortalitatem animæ humanæ demonstrandam sufficere putarunt, si perpetuitatem modo existentiae subjecti demonstrare valuisserent, parum accurate rem considerarunt; conservatio enim virium & continuatio actionum suarum adeo simul necessaria est, ut sine illa ens immortale ne ipsum quidem immortalitatem suam sentiret, quo facto immortalis entis nomen haud mereretur. Cum itaque immortalitatem rite definire volumus, ad eam requiri non solum perpetuitatem existentiae ipsius subjecti, sed etiam conservationem virium & continuationem actionum suarum, patet. Illam vero corporibus tribui non posse quotidiana monet experientia; mundumque hunc, qualis nunc est, atque isto modo, quo nunc est, non semper fuisse, sana ratio quemque facile docet, resque omnes materiales, quæ nobis heic occurunt, mutabiles (*a*) & natura sua destructibiles esse, perspicue cernimus: quod idem fatum corpus etiam humanum manere experientia abunde loquitur; nempe juxta legem divinitus constitutam in pulverem, post sublatum commercium, quod animæ cum corpore nostro

A

in

---

(*a*) MOSES MENDELSSOHN. *Phædon*, (Berlin u. Stettin 1776.) Erstes Gespräch. p. 57.

2

vita intercedit, hoc redire videmus. Sed nec sapientia, nec bonitati Summi & Perfectissimi Numinis consentaneum est, ut existimemus, omnem vitam hominis una cum vita corporis cessaturam esse; quisque enim facile expefitur, in se esse non solum vitam vegetativam & sensitivam, ut loquuntur; sed etiam rationalem, quae est vita animae a corpore distinctae, variisque egregiis facultibus per naturam suam praeditae, quaeque a sapientia & potentia nec non bonitate Dei felicitatem vehementer exoptat, atque exspectat. Anima haec humana ejus est præterea indolis, ut continuos progressus in cognitione faciendi vehementissima ardeat cupiditate, & conatus, desideriaque sua hujus vitae limitibus contineri neutquam patiatur; unde infelicissimus & sibi videatur & utique sit homo, nisi Deus, ejus Auctor, ardenti & perpetuæ ejus exspectationi satisfaciatur: consideratio enim viræ, ejusque commodorum excitat desiderium, quod nisi satietur, tristitia hominem sensu afficit; quare nulla appetet ratio idonea, cur anima humana in viribus suis exercendis aliquando sit plane cessatura.

Nec igitur dubitarunt Philosophi, paucis exceptis, quin anima existentiam et vitam suam perpetuo continua natura esset; sed disputatum fuit, *an sine adstruenda immaterialitate ejus adstrui possit immortalitas?* (b). Alii scilicet

---

(b) *Conferri potest bac de re* LOCKIUS *De Intellectu humano* Lib. II. Cap. XXIII. EUDDEUS. *Philosoph Theor. P. VI. Cap. I.* EJUSDEM *Theolog. Dogmat. Lib. II. §. XVI. not. p. 350 sq.* *Contra quos disputatione* WOLFIUS *Psycholog. Rat. Sect. I. Cap. I. S. c. IV. Cap. I. pag. 588. seq. & WALLERIUS *Psycholog. Rat. P. I. Cap. I. p. 13. seq. & Cap. III. p. 126.**

3

durationem perpetuam putarunt esse ab idea materiae,  
cujus quotidie viderent destructibilem naturam, adeo alienam, ut illam huic tribui nullo modo posse putarent; ac vim etiam cogitandi materiae nullo modo concedi posse, docuerunt (*c*): quorum aliqui ex hujusmodi indestructibilitate entis cogitantis, ejus etiam immortalitatem mox sequi, existimarunt. A quibus dissentientes sic dicti Materialistae Sceptici contenderunt, nos non posse certos esse de immaterialitate animae, quum nobis certo non sit notum, annon Deus hanc facultatem materiae concedere potuerit? Aliis de ente vere simplici sibi ideas formare nec sciis, & cogitandi vim, & immortalitatem posse etiam cum materialismo consistere indubium visum fuit (*d*). Alii denique animo cogitanti, non sine corporeo instrumento hac in vita operationes suas peragenti, corpus quoddam subtilius praeter hoc nostrum visibile, adjunixerunt; non intelligentes quomodo possit anima sine corpore, quo ad miniculo heic utitur, post hujus mortem in conjunctione esse cum aliis rebus, suasque continuare actiones, et vires exercere, quod ad veram immortalitatis suae notionem omnino requiritur.

Quum itaque adeo discordent judicia sagacium & eruditorum virorum, qui multum ab utraque parte pro sua quisque defendenda sententia disputatione; Iocuplem hæc

A 2

qua-

(*c*) Confr. WOLFI *Psych. Rat.* Sect. I. Cap. I. §. 44. p. 29.  
WALLERII *Psycholog. Rat.* Cap. I. §. 25. p. 38. FEDRI  
*Institutiones Metabapb.* (Gottingæ 1777) §. 26.

(*d*) HOBESIUS ipsi Deo tribuit materiam *Leviathan.* C. 12.  
Ita ejam G. F. MEJERUS, quem WALLERIUS (*Psych. Rat.*  
Cap. III. p. 193.) refutat, existimat materialistam salva  
sua hypothesi posse affirmare immortalitatem.

quæstio, nobis Dissertationem aliquam Academicam spe-  
ciminis litterarii loco & ingenii exercendi causa edituris,  
materiam præbere visa fuit, vires periclitandi. Cui rei  
dum paucis peragendæ operam damus, L. B. rogamus,  
velit conatibus nostris juvenilibus benignam dare veniam,  
eosque miti stringere censura.

## S. II.

Indestructibilitatem entis posse sine ejus adstructa immaterialitate statui, negari nequit; quidni enim Deus poterit, si ita ei placeat, conservare etiam existentiam entis materialis, et si naturaliter sit destructibile? Ac similiter vires quoque ejus a Deo poterint perpetuo conservari; qui contra ens etiam simplex quocunque contingens, cum suis viribus, potest annihilando destruere, si ita ejus voluntas ferat. Ex quo patet, eos eruditorum, qui de immortalitate scribentes præcipuam, nisi omnem curam in id intenderunt, ut animæ immaterialitatem demonstrarent, (quo ipso ejus immortalitatem simul demonstrari putarunt,) insufficienter rem præstitis. Eatenus itaque non est nexus inter immaterialitatem & immortalitatem necessarius. Nec veteres, utpote qui ad vetam notionem entis simplicis asfurgere non valuerunt, immortalitatem animæ aliter docuerunt. Verum quidem est, veteres locutos esse de spiritualitate animæ; sententia vero eorum curatius examinata, opinionem illis fuisse spiritualitatis crassiorem ea, quæ hodie habetur, & spiritibus ipsis naturam eos tribuisse fere corpoream, perspicue patet: ideam enim ejus aliter explicare non valuerunt, quam ut aquæ, ignis aeris, sive ætheris instar illam sibi repræsentarent. Ita & Aegyptii notionem spiritus habuerunt erasiorem, & Chal-

dæi

dæi putarunt animam igneæ esse naturæ (a) &c. Veteres quidem Philosophi dividi etiam solent in Materialistas & Spiritualistas; sed tamen notio spiritualitatis etiam his minime fuit genuina. Plurimi quidem Philosophorum gentilium animam *ατωματον τι* dicunt; sed notione eorum curatius examinata, patet, eos simul tamen, ut diximus, putasse animæ substantiam esse vel ætheream, vel aëream, vel igneam, vel ejusdem, ac lucem aut aquam, naturæ. Ita CICERO (b) exponens & suam & eruditorum quorundam Græcorum sententiam, dicit animam esse naturæ individuæ & incorporeæ, omnis, que concretionis & materiæ expertem; sed mox tamen querit, an substantia ejus similis sit igni, aëri, luci &c? Quidam vero negarunt plane, eam esse habendam substantiam a corpore distinctam; omnia ex materia derivari posse animæ negotia putantes, quam accidens quoddam corporis existimarent esse; aut facultatem quidem cogitandi & volendi animæ tribuentes, eam tamen per totum corpus esse diffusam existimarunt; & sic porro.

Neque Patribus ecclesiæ veteribus notio fuit justa & genuina spiritualitatis animæ; quod forsan provenit partim ex philosophia eruditorum gentilium, cui adsuverunt, aut ex locis Scripturæ sacrae ad usum quotidiani sermonis conformatis, quæ crassius interpretati sunt. Itaque nec illi spiritibus materiam quandam subtiliorem tribuere dubitarunt. Sic neque TERTULLIANI, neque AUGUSTINI sententia multum inde abludit; ac PRUDENTIUS canit: „Deus igne fons animarum (c).”

(a) Vid. STANLEJI *Hist. Philosophiae* (Lipsiae MDCCXI.) Pars XIII. Sect. I. Cap. I. & X. p. 1122. sqq.

(b) *Acad. Lib. IV.* Cap. XXXIV.

(c) PRUDENTII *Sacra, quæ extant, Poëmata, Cathemerin, Hymn. XI,* v. I. p. 95. (Edit. Basileæ.)

Medio quoque sic dicto ævo, varia absonta de substantia animæ multi docebant Scholastici; sententias ARISTOTELIS, quas raro bene intelligebant, cum S. Scripturæ & Patrum ecclesiæ effatis popularibus temere conjungentes.

Nec simplicitatis notio illa subtilis, quæ hodie regnat, recentioribus Philosophis omnibus, quamvis materialismi odium protestis, familiaris fuit; quorum quidam sententias veterum (*d*) incautius amplexj sunt, alii vero ipsi philosophantes, peculiares hypotheses de substantia animæ sibi formarunt, ideamque ejus talem adornarunt, quæ a materia illam non satis distingueret; ad antiquorum illi etiam & ecclesiæ veteris consensum provocantes.

Durum tamen fuerit contendere, hos omnes simul negasse immortalitatem animæ, cuius vera & plena notione carebant. Ac etsi foeditas Theologiae, quam gentes multæ & ethnicorum turba fovit, satis ex scriptis eorum Iucet; cum Cicerone tamen ad credendum proni sumus, vix ullam gentem tam feram fuisse, quæ non haberet & agnosceret Deum; aut Deos, sancta religione collendos, qui in altera vita retributuri essent unicuique hominum ea, quæ heic vel bene vel male fecisset. Ex ritibus enim (ut sunt expiations, preces, sacrificia &c.), quos etiam ferocissimæ nationes in tractandis & sepelieundis mortuis adhibuerunt, colligi potest, eas de vita quadam post mortem ideas aliquas, licet admodum confusas & imperfectas, habuisse; quarum omnium rerum testimonia plurima in scriptis veterum habemus, nec non in illorum commentariis, qui recentiori tempore itinera ad gentes

---

(d) Sicut ARISTOTELIS, PLATONIS &c.

tes barbaras instituerunt. Magna in primis Græcorum Philosophis fanioribus fiat injuria, si in eandem cum Epicuro &c. classem omnes ablegentur. Ita SOCRATES in ipsa morte suam de immortalitate animæ persuasionem testatus est, & credidit expeditissimum in cœlum unicuique optimo & justissimo patere putavit (*e*). Pulcrum etiam CICERO ex desiderio ardentissimo æternitatis adornat pro immortalitate animæ argumentum (*f*). Longe autem adhuc atrocior antiquis Christianæ ecclesiæ Doctoribus injuria inferretur, si inde, quod simplicitatem animæ non recte conceperunt, ac explicuerunt, concluderetur, eos animæ quoque immortalitatem vel negasse, vel in dubium vocasse; quod non minus aburde, quam injuste illis exprobraretur.

### §. III.

Sed evoluta jam hodie apud nos & stabilita accuratio-  
re notionē entis simplicis, quæri potest: an sit conceptibile,  
substantiam cogitantem qualis est anima nostra, es-  
se ullo modo corpoream? Negando quidem ad hanc quæ-  
sionem recte扇iores nostri respondent Philosophi. Ve-  
rum quidem est, nos minime intelligere interiorem na-  
turam substantiæ simplicis; sed num magis perspicimus  
interiorem materiæ naturam? De utraque nihil scimus,  
nisi quod ex operationibus utriusque, diversissimi fane  
generis, de iisdem nobis innotescit. In iis quidem cor-  
po

(*e*) Vid. PLATONIS *Pbædon* (*Dialogi Selecti de rebus Di-  
vinis. Cantabrigiæ 1673.*) imprimis pag. 73. 82. 84.  
94 seq.

(*f*) *Quæst. Tusc.* Lib. I. 32.

porum speciebus, eorumque phænomenis, quæ natura nobis objicit, veritatem inesse certi sumus; sed tamen nos valde mancam minimeque per omnia accuratam eorum omnium ideam habere; manifestum est; nec notio nostra corporis & materiæ alia est, nisi idea phænomeni, in cuius interiorem ac substantialem naturam æque parum, ac in naturam spiritus, acies nostræ mentis penetrare valet. Non itaque absurdius egerunt, qui dixerunt, facilius esse sibi cognitionem comparare spiritus, quam corporis (*a*), quam illi, qui notissimam sibi esse assertentes corporis naturam, ideam entis simplicis ut inconceptibilem rejecerunt. Explicatio enim naturæ corporum & materiæ plus habet difficultatis, quam multis primæ fronte videtur; usu enim sensuum externorum deposito, nulla remanet notio corporis: anima vero sui ipsius, operationumque suarum intime conscientia est. Etsi igitur substantiam interiorem animæ haud cognoscimus, tamen existentiam ejus ideo negare absurdum est; quod enim sive active, sive passive operatur, (quod de anima utrumque dici potest,) illud existit (*b*). Ipsa quidem animæ vis operandi & cogitandi, substantiam ejus totam non absolvit; illa enim vis quoddam sane requirit subjectum, cui insit, licet ejus naturam ignoramus, ac nihil fere aliud de eo statuere possimus, quam quod ei non competit ea natura, quam corpori tribueret hujus

(*a*) FEDER. Logik. 1 Hauptst. I. Abschn. §. 3. p. 21. (Edit. Göttingen 1778.) DESCARTES dixit [nos] posse ideam nobis comparare spiritualium, sed non corporeorum.

(*b*) PLATNER *Philos. Aphor.* (Leipzig 1776.) I. Hauptst. §. II. p. 5. sqq.

jus operationes & phænomena jubent, sed alia, cujus conceptus noster non nisi negativus, & conceptui entis compositi oppositus est. Sic adhæret semper idea corporis & materiae idea inertis alicujus & in se mortuæ substantiæ. Corpora apta quidem sunt ad motum aliunde recipiendum, quem, quia mechanice agunt & reguntur secundum leges physico-mechanicæ, libere tamen dirigere non possunt, (qua facultate gaudet anima, quæ secundum leges Logico-ethicas regitur (*c*), multo minus interna quadam vita & operationum suarum fonte gaudent. Operationes autem animæ nullam involvunt notionem proprietatum corporarum, sed illæ ad longe aliud, aliasque prorsus naturæ, subjectum, a quo proficiscantur, nos concludere jubent. Nullam animæ vires ac operationes cum extensione, divisibilitate, soliditate &c., (quæ corporibus communia sunt,) communionem habent. Proprietates & actiones corporum partes subjecti agentis diversas, atque extra se positas innuunt; quas animæ tribuere nullo argumento ex propriis ejus operationibus desumpto, licet: potius quisque ab animæ operationibus ad statuendum principium aliquod operandi unum & indivisibile ducitur (*d*). Nec multitudo affectionum animæ partes in ea plures extra se positas indicat; sed contra anima, quæ uniuscujusque personalitatem s. egoitatem sola efficit, prorsus unica est substantia, quæ de auditu, visu, gustu diverso &c. eadem judicat, quæ nunc hoc, nunc

B

aliud

(*c*) PLOUCQUET. *Elem. Philos. Contemplat. Metaph.* Sect. II.  
§. 439. & §. 441. p. 421. sq.

(*d*) PLOUCQUET. *I. c. §. 376. p. 142. Cfr. IRWING II. Erfahrung und Untersuchung über den Menschen.* (Berlin 1777.) II, vol. II Abtheil. §. 124, p. 48, PLATNER *I. c. p. 3. sqq.*

aliud vult et sic porro. Ut itaque ex corporum operationibus, in primis in corpus nostrum, proprietates eorum colligimus; nec plures aut alias eis certo tribuere licet, quam quas his suis operationibus produnt: ita nullam earum animæ, cuius operationes easdem minime produnt, tribuendam esse patet (*e*); idque tanto minus, cum virtutes animæ simplicissimæ, quas ex operationibus ejus colligimus, cum idea aggregati ac entis ex pluribus substantiis compositi, illis potius aperte pugnat. Anima quidem rationes sequitur, cur de hoc aut alio, sic aut aliter cogitet; sed neque externo impulsu, nec interno mechanismo ad hoc impellitus & cogitur.

Nec affirmari ullo modo potest, sensationem individualem corpori competere; haec enim sentatio sive conscientia immediata egoitatis suæ, actus est solius entis simplicis, quo anima nostra non solum existentia suæ, rerumque circumstantium, quas a se distinguere potest (*f*), sed etiam operationum suarum sensu interno afficitur. Lusus quidem phantasiarum nostrarum ex mechanismo organorum illorum, cum quibus mens proxime conjungitur, pendere non negamus; sed quam primum ipsam sensationem individualem contemplamur, mox persuademur, nobis præterea inesse peculiare quoddam subjectum, plane unum, cum quo idea aggregati (ex pluribus substantiis collecti) vehementer pugnat. Corpora quounque modo operentur, moveantur, & patientur; nulla

ta-

(*e*) BAXTER. *Inquiry into the nature of human Soul.* I. vol. I Sect.

(*f*) STEEB. *über den Menschen.* II. Band. II. Abschn. Erstes Kapit. §. 90. pag. 665. sqq. TETENS. *Philos. Versuche.* (Leipzig 1777.) I. vol. V. Versuch. p. 411.

II

tamen inde sensatio sui, vel delectationis aut doloris &c. sensus emergere potest; neque igitur vel existentiam suam intelligere, vel judicium ferre de proprietatibus suis aut aliarum rerum posunt; nec ex illorum viribus, quas quidem iis tribuendi rationes idoneas habeamus, tale quid aut demonstrare aut explicare quisquam potest. Natura itaque animæ, substantiæque suæ, interior (de qua tutius est ex experientia philosophati, quam varias mere theoreticas speculationes de ea afferre), æque quidem ac corporis illa latet; sed neque tamen ulla appetet ratio, cur animam potius statuamus materialem, quam simplicem (quo ipso natura ejus minime evadit intellectu facilior), neque vires suæ eam hypothesis amplecti finunt; ut consequentias pericolosas ex materialitate animæ assumta fluentes, taceamus: Ac ipsa analogia naturæ, de qua Philosophi loquuntur, animæ immaterialitatem potius confirmat, quam convellit.

#### §. IV.

Sed tamen ex immaterialitate animæ posita neque ejus vis repræsentativa, nec immortalitas mox sequitur. Quomodo enim inde, quod ens aliquod partibus & extensio-  
ne caret, efficietur, illud vi cogitandi pollere? Quod mul-  
ti demonstrare frustra tentarunt (*a*). Potius contra ex co-  
gitationis existentia, de qua experientia edocemur, ad exi-  
istentiam entium simplicium evincendam progredi debe-  
mus: in quorum conceptum, nisi ex hac eorum opera-  
tione, ne incidere, quidem valuissemus. Immortalitatem

B 2

au-

---

(*a*) Vid. WOLFIUS. 1. c. p. 32. sqq. WALLERIUS. 1. c. §. 33.  
pag. 77.

autem ex immaterialitate atque spiritualitate entis alicujus mox inferre, etjam illud nimis fit præcipitanter; nam opus sane est, ut voluntas Dei de conservando illo ente simplici vel spiritu finito, utpote per naturam suam contingente, accedat, ac ostendatur. Sed tamen dubitari non potest, quin verisimilius enti simplici etjam indestructibilitas, ut naturalis quædam ejus dos, tribui queat, quam materiae sive composito, quod ut aggregatum ex pluribus substantiis conjunctis constans, successive facile posse destrui videtur, partibus disjunctis; & ipsa idea nostra corporis involvit conceptum proprietatum ex compositione partium vehementer pendentium, quæ tales diutius non manent, quam quamdiu partes cohærent, post quarum dissolutionem naturaliter cescant, unde naturalis destructibilitas corporis oritur. Si itaque anima humana materialis statuatur, proprietates ejus, ut talis, successive partibus ejus disjunctis, evanescerent eodem modo, quo corporis nostri organici functiones tandem cescant, quod igitur existentiam suam perpetuo continuare naturaliter nequit. Ac licet generalem rerum omnium conservationem statuamus, ita ut & tota rerum natura facta rectaque conservetur, & materiae nihil penitus pereat & annihiletur; composita tamen singula, & individualem corporis cujusque compositionem, sine mutatione, constanter mansuram esse, hinc minime sequitur, nisi Deus ad naturam corporis aliquid præterea addat, ac perpetuitatem existentiæ ei, per quoddam quasi miraculum, tribuat. Ex ipsis itaque viribus naturæ profluit corporis nostri mors, quæ consistit in cessatione motus, organis læsis a functionibus suis cessantibus, simul cum humorum stagnatione, unde putredo & ineptitudo ad munera sua obeunda naturaliter & sine superacedente singulari Dei concursu oritur.

E contrario vero, cum anima immaterialis ponitur ex iis causis, quæ materiam destruunt, sive quæ corpori mortem parant, eam perire non posse, sed fore, ut perpetuo existat, nisi Deus eam destruere velit, oppido patet. Si anima, ut Philosophi docent, partibus caret, neque vel oriri potest nisi ex nihilo, nec ex dissolutione partium, sive eo modo, quo corpus perit, interire (*b*); patet, eam non possidere internam indolem, vi cuius, sine accidente singulari aliquo concursu Dei, natura sua intereat. Verum quidem est, animam tamen non posse existentiam suam continuare, nisi Deus eam velit conservare; sed hæc conservatio, ubi tantum generaliter ad eam æque ac ad alias res finitas pertinet, non impedit, quominus recte tamen anima vocetur indestructibilis, quia naturaliter existentiam suam continuabit, nisi Deus eam annihilando destruat. Sed, ut diximus, ex hac indole animæ mox non sequitur ejus immortalitas; (etiam si ostensum fuerit vim representandi & cogitandi, reliquasque suas dores, ex essentia atque natura sua fluere;) nam semper tamen dubium videri poterit, annon Deus certum ei existentiaz terminum præstituerit, & eam tandem destructam velit? Deo enim potentiam etiam ea efficiendi, quæ secundum ordinem naturæ non fiunt, denegare ratio minime potest; qui ut potest perpetuo conservare, si placet, etiam ens materiale, ita potest etiam destruere, sive annihilare ens simplex. Itaque ex Theologiæ etiam Naturalis principiis quærendum est (ut supra innuimus) subfidium desiderio ac spei nostræ, ut plene animæ immortalitas evincatur. Illa autem docet, Deo competere non modo immensam potentiam, sed etiam sapientiam & bo-

ni-

---

(*b*) FEDER. Metaphys. §. 2.

nitatem, ac Divinis ejus perfectionibus minus conveniens videri, ut statuatur, eum velle animam humanam annihilare, quod finibus suis, nexus causarum naturali constitudo intentis, adversum videtur (c). Quam primum enim attendimus ad illas virtutes sublimes, quas animæ inesse experimur, statim quasi manu ducimur ad pondam voluntatem Dei de anima conservanda (d). Competit Iclicet animæ facultas continuos progressus in cognitione faciendi, cupiditas perfectionis, ad quam res mortuæ pervenire non posunt, & desiderium naturale felicitatis suæ (e), quam anima querit in viribus suis exercendis, & quam res mortuæ sentire nequeunt. Unde rationi minus congruum videtur existimare, Deum facultates tribuisse animæ, eamque desiderio ardentissimo felicitatis suæ instruxisse, nullam vero ei dedisse occasionem vires suas plene exercendi, nullumque adminiculum, quo satisficeret desiderio felicitatis suæ, quæ ad sensuales delectationes non restringitur, sed nobiliores complectitur quæ principium habent in anima rationali (f), & ad cujus felicitatis culmen in hac vita pervenire minime potest. Menti humanæ inesse experimur sensum quendam, qui altius spirat, & desideria, operationesque sive cogitationes suas rebus imperfectis & limitibus arctioribus contineri non patitur. Si vero ani-

ma

(c) REIMARUS. *Abhandlungen von den vornehmsten Wahrheiten der Nat. Religion.* (Hamburg 1781.) X. Abh. §. I. p. 641.

(d) Vid. hac de re MOSES MENDELSSOHN I. c. III. Gespr.

(e) REIMARUS. I. c. X. Abhandl. §. 5. p. 650 sqq. TETENS. I. c. II. vol. VII. Abschn. p. 791 sqq.

(f) STEEB. I. c. II. vol. Zweytes Kapitel. §. 78. p. 541.

ma maximam suam, quam heic obtinere potest dexteritatem, per mortem corporis, simul cum existentia sua & virium suarum usu, perderet; nullam fere unquam sentirent mortales felicitatem: dolor enim mox excitatur cum perdimus, sive nos perdituros esse sentimus, bona ea, quæ posidemus; e contrario vero delectatio, quæ provenit ex bono, quod posidemus, arcte conjuncta est cum cupiditate id augendi: horrorque vehementissimus nos percutit, annihilationem nostram meditantes. Addimus, nec posse ens ratione præditum in calamitatibus, quibus heic læpe premitur, annihilatione sua sese consolari. Meditationes itaque hæc compluresque similes, spem nostram de immortalitate animæ confirmare videntur, & quamprimum sperare possumus, voluntatem Dei eam esse, ut conservetur anima, jam interitus ejus non est metuendus. Attributis præterea Divinis admodum est consentaneum, ut existimemus, Deum, cuius justitia requirit, ut cuique retribuat juxta facta sua in vita edita, velle animam conservatam, atque in futura vita, Eum sortem hominum, quæ hic non semper satis congrua videtur, ita temperaturum esse, ut & debitus virtuti honos, & vitiis ærumnæ, & gloriae Nominis suus splendor intemeratus constet.

---